



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Orator Christianvs Caroli Regii E Societate Iesv

Reggio, Carlo

Romæ, 1612

Divo Pavlo Optimo Magistro atque omnium Concionatorum Protectori
dignissimo, & vnico exemplari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68672)

DIVO PAVLO
OPTIMO MAGISTRO
atque omnium Concionatorum
Protectori dignissimo, &
vnico exemplari.



PRODITVRVS è domesticis pa-
rietibus, in commune orbis theatrum
noster Christianus orator, patronum
aliquem, & tanquam pupillo tutorem,
solenni quadam consuetudine, ac lege,
à me iure suo assignari sibi deposcit.
Ego vero ad calites Diuosquemagis
quam ad terrigenas conuersus, Non
arbitror Beatissime Paule, has qualescumque lucubrationuncu-
las, in publicum posse prodire tutius, quam si tui sanctissimi
nominis characterem, & insignia in ipsa statim fronte præ-
seferant, non quod eas vlllo modo dignas existimem, quæ ta-
nti principis nomine, ac auctoritate decorentur, & tam illustri
patrocinio fulciantur, sed vt omnes concionataria facultatis
professores planè intelligant, nullo eas melioris patroni muni-
mento nisi vnquam posse, quam si tibi omnem industriam,
laboresque suos, & studia, bona credant fide: quem à Deo
vnice ad Euangelium toto orbe disseminandum, ab ipsa æter-
nitate destinatum, & segregatum ab utero matris, Iesus
Christus ipsemet egressus è celo, ad portas Damasci grandi
miraculo vocauit, & ad hoc ipsum munus, vas electissimum
reddidit. Quem nouimus tanquam auream tubam, celesti
spiritus afflatu personantem, magnam totius orbis partem
peragrassè; & Christi gloriosum nomen circumtulisse, popu-
losque

losque quam plurimos ad Syon montem, & ciuitatem Dei ui-
 uentis Hierusalem caelestem, ac primitiuorum Ecclesiam con-
 gregasse. In quo denique nobis non solum, veri magniq; ora-
 toris exemplar, & nobilem formam ad inspiciendum, & imi-
 tandum reliquit, sed etiam Epistolas omni eruditionis Chri-
 stiana genere, ornatissimas dedit; quarum spiritu, & autho-
 ritate nostras conciones, & exornare, & confirmare, & co-
 piosè admodum locupletare valeamus. Tibi ergo gloriosissime
 Paule, quem ego inter choros Seraphim, Iesu Christi ardentissi-
 mo contemtor amore flagrantem, Tibi inquam, hos licet exi-
 les labores, & me ipsum totū, atque adeo, omnes qui ad Euan-
 gelizandi munus à Deo vocati sunt, dedo, dicoq; & precibus à
 te exopto, ut qua es in Christum Dominū, & Ecclesiam cha-
 ritate, omnes tuo fauore gaudeant, tuo patrocinio muniantur,
 tuo spiritu in concionibus armentur. protege singulos, qui ad te
 confugiunt, ut in hoc tam graui onere laborantes, huiusmodi
 sint, quales per tuas Epistolas, & pradicacionem esse debere
 Deus docuit, ut pro Christo legatione fungantur, tanquam Deo
 exhortante per eos; ut sint fideles Christi ministri, & dispen-
 satores mysteriorum Dei; ut non seipsos pradicent, sed Dominū
 nostrum Iesum Christum, & hunc crucifixum; ut redigant in
 seruitutem corpus suum, ne cum aliis pradicauerint ipsi repro-
 bi efficiantur; ut collaborent Euangelio Dei, secundum virtu-
 tem: ut sapientibus, & insipientibus se debitores esse cogno-
 scant, & omnibus omnia fiant, ut omnes lucrifaciant: ut do-
 ctrinis variis, & pregrinis non abducantur, verum sequantur,
 qua decet sanam doctrinam. Vt in Christo Iesu per Euange-
 lium gignant multos filios: Vt omnes laborent sicut boni mi-
 lites Christi Iesu; sibiq; & doctrina attendant, ac lectioni, &
 meditationi, & in his instent; atque ita seipsos saluos faciant,
 & eos qui audiunt. Deniq; illud te obnixè deprecor, studiosis-
 sime diuini verbi Præco, ut hos exiguos pro eiusdem diuini
 verbi pradicacione, postremis hisce temporibus, & excolenda,
 & amplificanda labores, ita tuearis, ut in Dei maiorem glo-
 riam, & Christi nominis cultum, ac venerationem, & sanctæ
 Ecclesie, omniumq; concionatorum beneficium cedant.

AD

2. Cor. 5.
 1. Cor. 4.
 2. Cor. 4.
 1. Cor. 9.
 2. Tim. 2.
 Rom. 1.
 1. Cor. 9.
 Heb. 17.
 1. Cor. 4.
 2. Tim. 2.
 1. Tim. 1.